

de Cain & Abel, hæc alia excerptit: *Solvitur à Corpore Anima post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri Judicii ambigua suspenditur.* Hæc ille ex Ambrosio: cujus postrema verba prætermitti poterant, ut inopportuna. Plerique enim Christi Fidelium, & præsertim qui mundana & inutilia sectantur (hosque revera Ambrosius tunc monuit) ad finem præsentis vitæ deveniunt, incerti ac dubii, quodnam futurum sit de se Judicium Dei. Contra non eam *Justis* ambiguitatem injicit Ambrosius, quam in eodem Libro de ipso Bono Mortis cap. xi. eorum Animas Corpore solutas lætari diserte fateatur: *Quod servatæ a se legis divino testimonio fulciantur, ut factorum suorum incertum supremo Judicio non vereantur eventum.* Eadem ingeminat Expositionem in Psalm. cxviii. Sermon. vii. num. 17. inquit: *Beatus itaque ille, qui illud celeste Judicium lætus expectat. Scit enim, sibi Regnum Cælorum, Angelorum Consortium, Coronam quoque bonorum repositam esse meritorum:* At quandonam hæc eventura sunt? Non postremo tantum die desinentis hujus Mundi, sed etiam post occultam & peculiare Judicium hominum hinc decedentium. Nam, ut idem S. Vir in eodem Sermonem num. 3. ait, *Justus remunerationem fidei, meritorumque sperat fore. Deus autem Sanctis quæcumque sponderit, implere consuevit, nostrarum immemor iniquitatum, suarum non immemor sponsonum.* Plura sane *Judicia Dei* Ambrosius quoque agnovit, atque inter cetera in excidio Judaici Regni unum ex iis deprehendit. *Verum autem dictum est* (ait in Exposition. Evangel. Lucæ lib. x. cap. 21.) *juxta propozita de Templo, quod Salomon condidit; idque Judicii esse tempore subvertendum.* Hoc profecto Ambrosius non ignorabat, Vespasiani ac Titi tempore jam fuisse completum. Reliqua duo loca a Burneto producta expendenda nunc restant, desumpta videlicet ex libro de Bono Mortis: Primo, ubi demus, Sanctum Episcopum non aliam ibi, quam quæ Burneto placuit, tradidisse doctrinam, vellem ego certius pateret, quo Anno hæc ille scripserit. Circiter Annum cclxxxvii. elucubratur censent Librum istum, sed mera tantum conjectura ducti, Monachi Benedicini. Fortassis & antea scripsisse is potuit, hoc est, quum nondum erat *veteranus Sacerdos*: quo tempore revera is fatetur in Epistola. xlv. ad Sabinum, se composuisse Librum de *Paradiso.* Discrimen autem temporis in hisce minime negligendum. Alia enim sensit tiro in Eruditione Ecclesiastica; alia, hoc est meliora, *veteranus Episcopus.* Quod si ostendam, Ambrosium alibi ab iis dissentire, quæ in Libro de Bono Mortis disseruit, veri videatur simile, rejiciendam hanc sententiarum discrepantiam in diversitate temporum, quibus ille scripsit. Atque is reipsa nobis occurreret, potestis vitæ suæ annis aliter de statu Animarum judicasse, quod satis futurum est nobis. Quis autem neget, quin Ambrosio veterano, quam tironi, major habenda sit fides & obsequium? Secundo, ut ut velis, retardata ab illo fuisse Præmia ac Supplicia Animarum usque ad supremi Judicii diem, necesse est animadvertas, quem